



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Transgressio cuiuslibet præcepti liciti & honesti peccatum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

456 Præcepti transgres.

turam, & vocatur mollities. Est autem voluntaria non solum si sit procurata, sed etiam si ex se venienti consensus præbetur, & etiam si quum potest & debet persona prohibere, non prohibet, prius enim duobus modis est voluntaria directè, tertio autem est voluntaria indirectè. Dixi autem si potest & debet: quia ad indirectè voluntarium culpabile, requiritur utrumque simul s. quòd possit & debeat. Nam si non potest prohibere, quia natura facit opus suum, constat non teneri, si similiter si possit impedire tollendo occasiones, & tamen non tenetur illas tollere, nõ est in culpa.

Et hinc doctores & confessores vacantes cogitationibus vel auditionibus operum turpium intuitu pietatis, non peccant subsequenter corporalibus pollutionibus contra eorum voluntatem: quia licet possint, non tamen debent subtrahere se ab operibus sanctis, propter huiusmodi quæ sequuntur ex necessitate materiæ. Et de similibus idem est iudicium. De hoc diffusè scripsi in quid libero primo.

Personæ verò quæ sine rationabili causa manent voluntariè in cogitationibus turpibus aut conuersationibus ingerentibus sibi huiusmodi commotiones, quia possunt & debent tollere tales occasiones, incurunt voluntariam pollutionem, nisi inaduertentia excuset: quia volendo illas illicitas, periculosas & sibi notas causas pollutionis propriæ, conuincitur velle culpabiliter ipsam pollutionem earum naturalem effectum.

*Transgressio cuiuslibet præcepti liciti &
honesti peccatum est.*

PRæcepti transgressionem peccatum esse constat. Sed quia præcepti nomen vt distinguitur contra consilium, confusum inuenitur (dum quandoque proprio

Præcepti transgres. 457

proprie secundum suam significationem sumitur ut imponit necessitatem obediendi, ita quod peccatur si non impletur, iuxta illud xiiii. quæst. i. Quod præcipitur, imperatur, & quod imperatur, necesse est fieri: &c. Quandoque autem antonomasticè, ut imponit necessitatem talem scilicet mortaliter peccandi si non pareatur: iuxta Clem. xiiii. de paradiso. de verbo significat. Et utroque modo in omni iure inuenitur (ideo obscura redditur discretio transgressionis præceptorum, quando est mortalis, & quando venialis.

Commune est autem utriusque generis præcepto, quod transgressio tam ex contemptu quam ex per se impeditio finis, est peccatum mortale. Et horum primum clarum est, quia contemptus siue præcepti siue præcipientis iniuriam infert ex propria ratione. Secundum autem declaratur ex eo quod finis præceptorum communium est dispositio animi virtuosa necessaria ad salutem, ad hoc enim ordinantur præcepta naturalia, diuina & Ecclesiastica. iuxta illud Apost. i. ad Timot. i. Finis præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Et declaratur. Nam aut sunt de necessariis ad salutem: qualia sunt quæ spectant ad peccata mortalia, aut de necessariis ad mundiciam: qualia sunt quæ sunt peccatorum venialium quæ disponunt ad mortalia & ad illa ordinantur ut imperfecta ad perfecta, ac per hoc præcepta contra venialia sanitatem animæ perturbant, ad vitam animæ quæ per mortalia tollitur, ordinantur: sicut sanitas corporalis ad vitam corporalis.

Existente autem communium præceptorum sine necessario ad salutem, consequens est, ut si huiusmodi præcepta transgrediatur quis ut impediatur finem: vel (& in diem redit) propter aliquid cui annexa per se impeditio finis, peccet mortaliter. Qui enim hoc

458. Præcepti transgressio.

hoc modo præceptum transgreditur, proportionaliter se habet, ad finem præcepti sicut qui transgreditur: ex contemptu, se habet ad præceptum seu præcipiente: nam iste respuit finem, sicut ille respuit præceptum. Verbi gratia: circa præceptum de audiendo Missam, non solum, peccat mortaliter qui omittit audire Missam, quia non vult subiici præcepto, sed etiam si ideo omittit, quia non vult mente vacare Deo.

Præter hos verò duos modos mortalis transgressionis præceptorum, sunt alii quatuor modi discernendi huiusmodi transgressionis seu præcepta, scilicet ex materia, poena, verbis & intentione. Diuinorum enim & naturalium præceptorum antonomasticè materia est necessaria ad vitam animæ: vt sunt. Non occides, non moechaberis, &c. & propterea eorum transgressio est mortalis. Præceptorum autem aliorum materia necessaria est ad sanitatem animæ: vt sunt, non dices verbum otiosum, iurationi non assuescat os tuum &c. & propterea eorum transgressio non occidit, sed ægram reddit animam. In iure autem humano ex sola materia discernere præcepta impossibile videtur: quum inueniantur minima quædam præcepta sub mortali peccato: vt patet de concidentibus cadauera, vt transferant ad alia loca: quod ex se nullum est peccatum, &c.

Pœna præceptorum antonomasticè, est excommunicatio, vel aliquid simile, quod non stat cum vita animæ: & propterea vbicunque apponitur excommunicatio, incurritur peccatum mortale transgrediendo. Pœna autem aliorum præceptorum est aliquid stans cum vita animæ: vt suspensio, interdictum, irregularitas, vel aliqua pœna pecuniaria, & huiusmodi, & propterea non oportet in transgressionibus horum incurere peccatum mortale. Siste tamen hic pedem, & aduerte quòd inter excommunicationem
latæ

Præcepti trangres. 459

lata sententiæ & comminatam excommunicationis
 poenam differentia est etiam quantum ad peccatum
 transgressionis, in hoc quod transgressor præcepti
 cum lata excommunicationis sententiâ, peccat mor-
 taliter: quia solum peccatum mortale dignum facit
 excommunicatione. Transgressor autem præcepti
 sub comminata pœna, non peccat mortaliter, quous-
 que transgressio non peruenerit ad hoc quòd ille di-
 gnus sit excommunicari. Quod ideo dico, quia si de-
 bet præcedere monitio ante, quàm ille excommuni-
 cetur, non peccat mortaliter antequam monitorio
 resistat: quia non est adhuc dignus excommunicari.
 Verbi gratia: clericus si nutrierit comam, excommu-
 nicetur: si nutriens comam non debet excommu-
 nicari nisi monitus generaliter vel specialiter, non
 peccat mortaliter quousque monitus perseveret, tunc
 enim vtpote excommunicatione dignus, peccat mor-
 taliter. Verba distinctiua præceptorum non sunt cer-
 ta, quum ipsum præcepti nomen incertum sit, vtpote
 commune vtriusque præceptis. Et propterea de præ-
 ceptis iuris communis incerta est sententia. In qua-
 libet autem Ecclesia seu religione illa tantum verba
 vim præcepti antonomasticè obtinent, quæ consue-
 uerunt intelligi apud illos pro præcepto antonoma-
 ticè: & quæ non consueuerunt sic intelligi, non habêt
 vim huiusmodi præcepti: quia nominibus vrimur iu-
 xta vsum. Intentio demum potest referri vel ad ho-
 minem vel ad legem. Et intentio quidè hominis præ-
 cipientis si sciri potest, sufficit: quoniam ex intentio-
 ne præcipientis pender præcepti vis, intentio autem
 legis in cõmuni certa est, quoniam est facere homi-
 nes virtuosos. Et legis Ecclesiasticæ intentio est non
 iniicere laqueos animabus, sed ad ædificationem cor-
 poris Christi mystici promouere. Et hinc fit vt non
 tam lata multitudo præceptorum obligantium ad

ff

mor

460 Prædicatorum pecca.

mortale in iure interpretanda sit ne laqueus multiplicatus contra animas censeatur.

Hinc etiam sit vniuersalis regula, quod in iis quæ sunt positiui iuris, si absque contemptu ac refutatione finis ex ignorantia pura, aut ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo qui animum habet nullo pacto consentiendo contra præceptum obligans ad mortale, non incurritur mortale peccatum: quando non est intentio piæ ac iustæ matris Ecclesiæ bonas huiusmodi animas illaqueare tam hostili vinculo. Et propterea talis apud Deum non incurret excommunicationem: absolendum tamen ad cautelam crediderim ignorantem.

Præceptis in suis actibus tam interioribus quam exterioribus periculo ruinae se exponit.

Præcipitatio (qua homo ad similitudinem præcipitationis localis secundum actus interioris animi præceptis ruit) peccatum est consilio contrarium. Maturitas enim consilii gradatim procedit ex memoria præteritorum, intelligentia præsentium, auscultatione aliorum, circumspectione obuiantium, &c. præceptis autem omissis huiusmodi statim concludit, deliberat, facit: & propterea peccat contra prudentiam. Quando autem mortaliter, & quando venialiter, ex materia discernitur. Si enim præcipitatio huiusmodi perniciosa est, utpote contra præcepta, mortalis est, si autem præter, venialis est: ut in aliis peccatis prudentiæ oppositis contingit.

Prædicatores in quibus communiter peccare dicantur.

Prædicatorum peccata peculiariter sunt sex. Primum est sine autoritate prædicare. Oportet enim

nim